belli, aut cujuſlibet mali communis, & quælibet neceſſitas bonum commune reſpiciens. Huc reducuntur expoſitio Sanctiſſimi, tam in diebus bacchanalium, quam in oratione 40. horarum, Salus Summi Pontificis, Epiſcopi, aut magni Principis periclitantis, Comitia Regularium, tam Generalia, quam Provincialia, & Gratiarum actiones pro gratia communi, quoniam ſpectant ad bonum commune; & ſicut pro hujuſmodi poteſt inſtitui Proceſſio, ita & Miſſa.

Qui caret Miſſa propria, non debet ſacrificium omittere, ſed poteſt recitare de communi, aut votivam.

QUÆRES III.

248 Sacerdos luſcus non valet recitare Miſſas currentes: An poſſit in feſtis duplicibus, & Dominicis, in feriis, & octavis privilegiatis ex devotione dicere Miſſam de Requiem, aut votivam de Beatiſſima Virgine, quas faciliter recitare valet?

RESp. Poſſe aliquando, puta quater, aut ſexies in anno, præſertim in privata, ſeu remota Cappella, minime ſæpe, ſine ſpeciali diſpenſatione a S. R. C. obtinenda. Idque ratione epikejæ, quia, ſtante Sacerdotis impotentia, non poteſt de Sanctæ Matris Eccleſiæ pietate præſumi, quod eum velit tanto privilegio, & auxilio ſpirituali, quantum ex ſacrificio Sacerdoti provenit, omnino ſpoliare.

Mihi favet Tambur. *citat.* §. 1. *num.* 12. qui ait ſe permiſiſſe Archiepiſcopo Montis Regalis D. Joanni de Torriſiglia ob infirmitatem diu pedibus ſtare non valenti, die Dominica Palmarum, & duobus aliis diebus in ſuo Oratorio privato dicere Miſſam votivam de Paſſione, quæ eſt brevior currente, in qua legitur Paſſio. Ejus ratio, quia devotio dat rationabilem cauſam, & Miſſa votiva de Paſſione congruit tempori.

QUÆRES IV.

249 An ſaltem id poſſit ſemper Sacerdos luſcus pauper non habens unde vivere, niſi accipiat ſtipendia, & celebret?

REſpond. Neceſſitatem ſolum ei permittere poſſe, ut id faciat aliquando per alias vices, quam ſi ob meram devotionem, & conſentiente ipſo petente; minime, ut id faciat ſemper, aut ſæpe, neceſſitas enim, & pariter devotio ſolum dat cauſam petendi, & facilius obtinendi diſpenſationem; non dat autem libertatem Rubricas generales propria authoritate pervertendi; ut ex ſimilibus conſtat.

QUÆRES V.

250 An peccet, qui ſine cauſa in feſtis duplicibus Miſſam votivam, aut de Requiem recitat?

POrt. *v. Miſſa in addit.* 7. & Suarez tenent nullum eſſe peccatum. 1. Quia alia eſt obligatio, quam habet Sacerdos ad ſe conformandum Rubricis in recitando Officio, ac in recitanda Miſſa.

Reſpondeo peccare; regulariter tamen id non eſſe mortale, ſaltem in Miſſis privatis, ſed veniale. Tambur. *cit. num.* 6. Bonacin. & alii. Non eſt mortale, quia in Rubricis id non exprimitur. Eſt veniale, quia turbationem, & inverſionem boni ordinis cauſat, & loquendo de Miſſis de Requiem, Alexand. VII. *citat. num.* 244. diſtricte præcipit dictam Rubricam ſervari, & tranſgreſſores tam ſæculares quam Regulares ab Ordinariis pro modo culpæ puniri.

Dixi, regulariter, nam ex circumſtantia gravi poteſt eſſe mortale; tale erit, ſi id fiat ex contemptu Rubricarum; ex animo inducendi novum Ritum; ſi fiat ſemper; tunc enim præſumeretur contemptus, aut ſi in die Paſchatis quis celebraret de Requiem; quod eſſet in injuriam ſolemnitatis.

Hinc die Paſchatis, Natalis, & ſimilis ſolemnitatis, cantari non poteſt Miſſa de Requiem, etiam præſente defuncto; immo officium ſepulturæ in ſequentem diem transferri debet. Tamburin. ait, poſt Miſſam ſolemnem Sabbati Sancti dici poſſe Miſſam de Requiem de die obitus, quia ex uſu ſolemnitas feſti eſt dies Paſchatis, & ad ſummum etiam tempore Miſſæ Sabbati. Anniverſaria ſolemnia incidentia in hujuſmodi feſtis ſolemnioribus transferri debent, Gavant. *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 2. *litt.* X.

Dices: mortale eſt notabiliter addere vel demere orationes Miſſæ, igitur.

Reſpond. Tambur. *cit. num.* 7. Diſparitatem eſſe, quia id ſapit mutationem ritus, adeoque eſt mortale, ſi non excuſet parvitas materiæ: in variatione autem Miſſæ non mutatur ritus, ſed recitatur una Miſſa approbata pro alia approbata.

QUÆRES VI.

251 Quæ Rubricæ Miſſalis ſint directivæ, & quæ præceptivæ?

VErricelli *tract.* 8. *quæſt.* 5. *num.* 222. ait, cum Fagundez, ſolas illas Rubricas Miſſalis eſſe præceptivas, & obligare ad mortale, quæ ſpectant ad eſſentiam, aut quaſi eſſentiam Sacrificii; cæteras vero eſſe conſilia, & doctrinales inſtructiones. At

Reſpond. cum Marchino, quem ſequitur Tamburin. *cit. cap.* 5. §. 1. omnes Rubricas eſſe directivas, quarum aliæ ſunt etiam præceptivæ, & illæ ſunt, quæ continent aliquid, quod vel eſt alias ex jure aut legitima conſuetudine ſub mortali præceptum, vel quod ipſæ Rubricæ expreſſe ſub mortali præcipiunt. In quibus eſt reſpective attendenda gravitas, vel levitas materiæ, ac inadvertentia.

Hinc ait (Tambur.) Rubricæ de jejunio, de integritate Sacrificii, de præmittenda confeſſione, de loco celebrandi, de ara conſecrata, de veſtimentis, & inſtrumentis ſacris, de materia ſacramenti, & ſimilibus, ſunt præceptivæ, quia vel a jure naturæ, vel divino, vel Eccleſiaſtico præcipiuntur. E contra Rubricæ de orando ante, vel poſt Miſſam, de numero orationum, de ſervando officio primæ, vel ſecundæ claſſis, & ſimilibus, ſunt directivæ ſine onere peccati mortalis, quia a nullo jure præcipiuntur. Harum autem tranſgreſſio mortalis eſſet, ſi fieret animo inducendi novum ritum vel cum ſcandalo, aut contemptu. Contemnere cenſetur, qui ſemper, aut ut plurimum illas non ſervat: Ita ille. Gavant. *p.* 3. *in appendice poſt. tit.* 10.

DE STIPENDIO.

252 STipendium non accipitur ut pretium fructu ſpiritualis Miſſæ, nec ut pretium laboris intrinſeci, qualis eſt ille, ſine quo Miſſa rite dici non poteſt, ut eſt labor in induendis ſacris veſtibus, aut in recitanda Miſſa longiori; quia ſic committeretur ſimonia; ſed juſte accipitur, vel ut pretium ſuſtentationis ipſius Sacerdotis, juxta illud: *Qui Altari ſervit, de Altari & vivat: v. tom.* 1. *de uſura, verb. octavo, ratione promiſſionis:* vel ut pretium laboris extrinſeci, qui ſuſcipitur propter circumſtantias extrinſecas, ut eſt obligatio celebrandi in loco diſtanti, tali tempore, &c. vel dicendi Miſſam ſolemnem, ſeu cantatam.

Imo pro hac poſteriori, & ſimilibus circumſtantiis, juſte exigi poteſt ſtipendium majus taxato.

Juſtum ſtipendium dicitur, quod eſt a lege vel conſuetudine in ſingulis reſpective Diœceſibus taxatum. Panormi eſt trium carolenorum.

253 Tambur. *tenet, te poſſe accipere duplex ſtipendium.* 1. *Cum* de Lugo, *unum pro præſentia, alterum pro applicatione, ſi tibi conſtet petentem ſolum velle præſentiam, & e converſo: quia ſtipendium pro præſentia accipitur pro labore extrinſeco, pro tali loco, aut tempore, quo Miſſa ſumitur celebranda.* 2. *Ratione diei feſti; quia tunc unum accipis pro applicatione, alterum pro officiatura, quæ in die feſto magis expoſcitur, quam in feriato, quatenus tunc majorem populi commoditatem, & majus decus Eccleſiæ, ac ejus Rectoribus confert: cui omnino contradicit* Diana. 3. *Cum* Lezana, *pro Miſſa cantata, etiam triplicatum ſtipendium juxta menſuram laboris, ait, te poſſe accipere ratione officiaturæ, & laboris extrinſeci.* 4. *Te poſſe accipere unum ſtipendium pro fructu impetrationis, quem applices Petro ad aliquod beneficium obtinendum, alterum pro fructu ſatiſfactionis, quem applices Paulo pro pœna debita peccatis illius, ſi Petrus, & Paulus expreſſe conſentiant, ſe velle ſolum unum fructum ex illis, quia ex una parte hi fructus ſunt ſeparabiles, & ex alia volenti, & conſentienti nulla fit injuria: ſi vero id non explicent, aut ex aliqua circumſtantia non colligatur, tunc docet juxta Sacr. Congregat. decreta te non poſſe niſi unum ſtipendium accipere, quia utrumque fructum acquirere volunt.* Ita ille.

254 Sacerdos non poteſt ſatisfacere per alium, collato minori ſtipendio, niſi alius Sacerdos gratis, & libere partem illam cedat: *vid. tom.* 1. *Prop.* 9. & 10. ab Alex. VII. *damn.* Imo ſi eleemoſyna excedat conſuetum ſtipendium, non poteſt exceſſum ſibi retinere, ex decl. S. C. in Decr. de Celebr. Miſſ. ad nonum; nam id eſſet avaritiæ, & mercaturæ genus, tam ſacro miniſterio indignum.

Hoc autem Decret. ſolum habet locum in collatione eleemoſynæ, quæ eſt purum legatum, ſeu onus Miſſarum, minime ſi ſit fundatio in titulum Cappellaniæ, ſeu beneficii; tunc enim (ut eadem Sacr. Congregat. declarat ad octavum) poteſt Rector Miſſam alteri committere, dando juſtum ſtipendium, retento pro ſe exceſſu: quia in Cappellania, & beneficio ſolet eleemoſyna ſuperabundans aſſignari ob alios titulos, & alia onera, aſſiſtentiæ, ſervitii Eccleſiæ, & in Cappellani ſplendorem: *vid. num.* 267.

Tamb. ait, *te poſſe retinere exceſſum, ſi tibi conſtet, eſſe datum ob peculiarem reſpectum ad tuam perſonam, quia es amicus, pauper, benefactor, &c. quia tunc eleemoſyna non fuit tota pro Miſſa, de quo caſu Sacr. Congreg. loquitur, ſed ob alium titulum.*

255 Præterea non prohibetur, quin Sacerdos, qui v. gr. recepit viginti ſcuta pro viginti Miſſis, celebret ipſe has Miſſas, retinendo totam eleemoſynam pinguem, & committat alteri Sacerdoti alias viginti, ad quas antea erat obligatus ex juſto ſtipendo, dando idem juſtum ſtipendium; niſi ſit expreſſe obligatus ad celebrandum eas per ſe ipſum, & non per alium.

Item S. C. ad ſeptimum declarat, quod poſſit adminiſtrator Eccleſiæ exiguam partem juſti ſtipendii retinere pro expenſis neceſſariis ad Miſſas, dummodo Eccleſia alios non habeat reditus ad id ſufficientes. Hinc Panormi retineri ſolent grana quinque pro Miſſa.

256 Sacerdos, qui bona fide acceptis ſtipendiis unica Miſſa ſatisfecit obligationi plurium Miſſarum, & poſtea devenit in malam fidem, cognoſcens ſuam opinionem eſſe damnatam per Decr. Urb. VIII. & Sacr. Congreg. tenetur Miſſas reficere, aut ſtipendia reſtituere ex re accepta, dummodo poſſit, quia ad impoſſibile nemo tenetur. Quod etiam in ſimili de Miſſis advertit Scotus *quodlib.* 20. *litt.* T. *v. num.* 236.

257 Sacerdos recipit ſtipendium pro decem Miſſis charta involutum, putans eſſe juſtum ſtipendium, poſtea tamen invenit non eſſe juſtum. An poſſit numerum Miſſarum minuere ad ratam juxta conſuetum, & juſtum ſtipendium? Reſp. Poſſe, monito illo, qui Miſſas petit, ne animæ ſuffragiis priventur, vel etiam non monito, ſi ex juſta cauſa non poteſt; imo poteſt exigere in judicio ſupplementum, Dian. *part.* 10. *tract.* 16. *reſolut.* 71. Donatus *tom.* 4. *tr.* 7. *quæſt.* 46. & 47. quia decreta obligantia Sacerdotem ad dicendum *tot Miſſas, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint,* ſupponunt in Sacerdote acceptante ſcientiam tenuitatis ſtipendii, ut patet per illa verba; *Sacerdotes accipientes ſtipendia minus congruo; & ex leg. Qui autem, §. Edictum, ff. in fraudem creditorum, l. Ignorantes fraudem non debent in damno eſſe.*

258 Monaſterium, ſi poſtquam celebravit centum, v. gr. Miſſas ab hærede, vel alio ſub credito ſibi commiſſas, pro recuperando ſtipendio aliquas expenſas fecerit; tunc ſi poſtea debitor dato ſtipendio alias centum Miſſas committeret, poſſet damnum ſibi illatum compenſare, minuendo numerum Miſſarum, juxta ratam expenſarum. Peyrin. *tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 27. alias cum ſuis ſtipendiis militaret. Idem aſſerit Bordon. *reſolut.* 114. *num.* 114. ſi Monaſterium expenſas fecerit pro recuperando ab hæredibus annuo cenſu; quia cenſus ille datur pro ſuſtentatione Sacerdotis, non pro litigando; & Monaſterium ſe obligavit ad Miſſas ſub determinato cenſu, non ſub minori, ac proinde poteſt ſe indemnem ſervare.

Non obſtat, quod Miſſarum diminutio ſit reſervata Papæ; quia id eſt verum de diminutione, quæ fit per diſpenſationem; minime, quæ fit per juſtam compenſationem; illa quidem fieri debet authoritate Superioris, qui in caſu eſt ſolus Papa, ad quem ſpectat *reductio;* ad hanc ſufficit injuſtitia ejus, contra quem fit compenſatio. Injuſtitia enim, ſeu juſtitia commutativa læſa duos effectus eſſentialiter parit, unum in agente, & eſt onus reſtitutionis, alterum in patiente, & eſt jus compenſationis, quando damnum ſibi illatum, alia via ſine notabili ſuo incommodo recuperare non poteſt; & Pontifices per tot Decreta Sacerdotes urgendo, volunt eos, damnabili lucro deſpecto, ſancto zelo, ac ſplendore munire, minime ſua juſtitia expoliare, ac laicis pejores reddere: quoniam teſte Bernardo: *Quamvis non liceat Sacerdoti, ut de Altari luxurietur, licet, ut de Altari vivat: v. tom.* 1. *de furto, verb. Compenſatio, & de præſcriptione, verb. contra onus Miſſarum.*

Monaſterium, pereunte totaliter cenſu ſine ſua culpa, non tenetur ad Miſſas, Donat. *cit. quæſt.* 60. quia Monaſterium obligatur ad Miſſas propter ſtipendium. Tum quia pereunte fructu beneficii, ceſſat obligatio ad officium.

259 Difficultas eſt, *ſi cenſus pro Miſſis legatus non perierit; ſed ſit diminutus.*

Diminutio autem dupliciter contingere poteſt. 1. Intrinſece, quatenus fructus capitalium ſunt diminuti in ſe, vel ex circumſtantiis temporum, vel quia domus, verbi gratia, eſt deteriorata, & ideo minus locatur. 2. Extrinſece, quatenus, licet fructus ſint iidem, ſtipendium tamen ex lege, & conſuetudine eſt auctum. Caſu ſic expoſito,

Donatus *tom* 4. *tract.* 7. *quæſt.* 59. & 62. negat, poſſe Monaſterium pro rata minuere Miſſas in primo caſu, concedit in ſecundo, quia in ſecundo habetur præſumpta mens teſtatoris, qui cum in principio Miſſam legaverit ſub juſto ſtipendio tunc currente, noluit Sacerdotem gravare, ſed habuit reſpectum ad ſtipendium congruum; & conſequenter præſumitur, quod ſi ſtipendium tunc fuiſſet majus, majus legaſſet; adeoque quod conſenſerit in diminutionem: & e contra præſumitur, quod alioquin Monaſterium non conſenſiſſet in numerum Miſſarum.

Tambur. Negat in utroque caſu ob Decr. Sacr. Congregat. quia facta hac petitione: *Quid ſi legatum ſit adeo tenue, ut non ſit, qui velit onus illi injunctum ſubire, &c.* Sacr. Congreg. reſpondit:

Ad primum, & ſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro dicta reductione oneris ut ſupra impoſiti ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam,

dam, &c. Et hæc ratio Donati pro primo caſu. Item facta hac alia petitione; *Tertio: An cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruum, teneantur Miſſas ab offerente præſcriptas celebrare?* Reſp. eadem Sacr. Congr. *Ad tertium teneri.*

Bordon. *reſol.* 25. *queſt.* 26. *num.* 37. Averſ. Franc. Lugo, & Thomas Hurt. affirmant, poſſe in utroque caſu. 1. Ratione Donati, qua utuntur pro utroque caſu. Quia ſicut ſe habet totum ad totum, ita pars ad partem: adeoque ſi percunte toto cenſu, ceſſat obligatio in totum; ita ceſſat in parte, ſi fiat diminutio cenſus. 2. Quia contractus inter teſtatorem, & Monaſterium, eſt contractus juſtitiæ, quo ille tenetur ad ſtipendium, hoc ad Miſſas; unde ſicut in aliis contractibus debitor ſervatur indemnis, ut patet in contractu locationis, in quo non tenetur conductor ad integram penſionem agri, quando ob grandines, alluvionem, aut ſimiles caſus fortuitos prædia conducta remanent ſterilia; ita nec in caſu Sacerdos ad omnes Miſſas; ſed poteſt minuere pro rata.

Ad Decreta Sacr. Congr. reſpondent, ea loqui de ſtipendio tenui ſcienter acceptato, & pariter de ſtipendio incongruo ſcienter acceptato poſt congruam taxam ab Ordinario factam, quia ſtante Sacerdotis expreſſo conſenſu, nulla ei fit injuria; minime de ſtipendio ab initio juſto & congruo, facto poſtea incongruo intrinſece, aut extrinſece, ut ſupra. Ita diſcurrunt præfati Doctores, quos ſufficiat retuliſſe.

260 Si teſtator non præſcripſit numerum, hæres non poteſt illum ad ſui libertatem præſcribere, ſed juxta ſolitam taxam, ex Dec. S. C. *Ad quintum.*

ADDITIO

„ Hic animadvertas velim, extare Bullam Benedicti XIV. qua vetatur laicis ſub pœna excommunicationis, clericis vero ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendarum, ne receptis pro Miſſarum celebratione pinguioribus eleemoſynis, alteri tradantur celebrandæ, retenta ſibi illarum eleemoſynarum parte. Bulla autem eſt hujuſmodi.

„ Quanta cura adhibenda ſit, ut ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium non ſolum omni Religionis cultu ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, importunæ atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt e medio tollantur, nemo eſt ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret. *Verum euſque tandem progreſſa eſt, ſicut non ſine ingenti cordis noſtri mærore undique accepimus nonnullorum ſive Eccleſiaſticorum ſive laicorum Virorum avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, ut eleemoſynas quidem ſeu ſtipendia propter Miſſarum celebrationem juxta locorum conſuetudines, vel Diœceſanarum Synodorum Sanctiones in ſubſidium alimentorum uniuſcujuſque Sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus præſcripta colligant, Miſſas vero celebrari curent alibi, ubi eleemoſynæ ſeu ſtipendia vel conſuetudine, vel Synodali lege pro ſingulis Miſſis attributa ſunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur. Id quam abſonum ſit atque alienum ab ipſa ſive expreſſa, ſive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt: nec aliter exiſtimandum eſt; in illa enim potius Miſſas eſſe celebrandas quiſque vult, ad quam religionis, & pietatis ſtimulis ductus eleemoſynas confert, aut in qua quiſpiam fortaſſe tumulatus eſt, quam in alia Eccleſia ſibi prorſus ignota. Quod ſane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum non ſolum ab avaritiæ ſuſpicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde reſtitutioni ſubjacet, haud immune, in cauſa eſt, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujuſmodi venit, graviter offenſi, ab eleemoſynis ad celebrandas Miſſas amplius offerendis ſeſe abſtineant.* Execrabilem hujuſmodi abuſum alicubi ſenſim irrepentem deteſtantes Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, de conſilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum *decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote ſtipendio ſeu eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſæ a quocumque accepta non poſſe alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebraturo ſtipendium ſeu eleemoſynam minoris pretii erogari, etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti, & conſentienti ſe majoris pretii ſtipendium ſeu eleemoſynam accepiſſe indicaſſet.* Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, in Apoſtolici Miniſterii, & ſollicitudinis noſtræ partem adſcitos rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut cuſtodientes vigilias ſuper gregibus veſtris, enitamini, ne ea peſtis amplius pervagetur, ſed ut penitus extinguatur. A b avaritia enim, tanquam a radice mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt a Fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectioniſque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum poſthabere, ac ſervire Mammonæ docens, efficit, ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Chriſti, & Dei. Quod ſi hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in Eccleſiaſticis viris, qui terrenis rebus nuntium miſerunt, qui in ſortem Domini vocati, qui Deo mancipati ſunt? Quid, quod non per mundana lucra, ſed per Altaris miniſterium tam ſordide, & cum ſanctiſſimarum legum contemtu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite, igitur, Venerabiles Fratres, quibus Chriſti ovium cura demandata eſt, non ſolum ut verbo, & exemplo præeuntes, Chriſti ſitis bonus odor in omni loco, unde populi veſtigia veſtra ſequantur; verum etiam ut Eccleſiaſticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum paſcuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad Cæleſte Ovile currere doceatis. *Quoniam autem ita comparatum eſt, ut preſentis pœnæ metu ſalutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in veſtris Diœceſibus proponendum affigendumque Univerſis notum facite, quemcumque, qui eleemoſynas ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens Miſſas, retenta ſibi parte earumdem eleemoſynarum ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem ſeu Secularem, præter alias arbitrio veſtro irrogandas pœnas, Excommunicationis pœnam, Clericum vero ſive quemcumque Sacerdotem pœnam Suſpenſionis ipſo facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per Nos ipſos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit.* Fore autem in Domino confidimus, ut unuſquiſque memor conditionis ſuæ, poſthac bene conſultum velit animæ ſuæ, nec tam ſalutares leges cenſuraſque Eccleſiaſticas parvi pendat. Interea Fraternitatibus Veſtris Apoſtolicam Benedictionem in populos etiam curæ veſtræ commiſſos redundaturam peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die trigeſima menſis Junii milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo Pontificatus Noſtri Anno primo.

QUÆRES I.

261 *Sacerdos obligatus quotidie ex ſtipendio ad celebrandum, accepit aliud ſtipendium ob Miſſam, an poſſit unica Miſſa utrique ſatisfacere, celebrando in Altari privilegiato, aut cum medalia, vel calculo privilegiato, applicando uni fructum Miſſæ, alteri Indulgentiam Plenariam?*

Bordon. *reſolut.* 25. *queſt.* 9. & 17. tenet, eum peccare contra fidelitatem, non contra juſtitiam, ac proinde non teneri ad reſtitutionem, quia per ſolam Indulgentiam ſatisfacit principali intento petentis, quod eſt liberatio a pœnis Purgatorii (quodque ſupponitur eſſe in caſu) imo melius, quia Indulgentia Plenaria magis valet pro Defunctis, quam fructus Miſſæ.

Reſpond. eum non poſſe, ſed peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem. Diana *part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 70. & Tamburin. cujus ratio eſt; quia vel offerens ſtipendium petit etiam Indulgentiam, vel non: ſi primum, ex conventione debes una cum Miſſa Indulgentiam; ſi ſecundum, non potes mercedem accipere de re non conventa. Tum quia hæc eſt ſordida negotiatio, a qua multum abhorrent Summi Pontifices, ut ex verbis Decr. Urb. VIII. *Volens omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere, prohibet, &c.*

Tum quia pro Indulgentia Altaris privilegiati, eſt alia ſpecialis ratio; nam hæc regulariter non conceditur; unde non poteſt uni applicari fructus Miſſæ, alteri Indulgentia Altaris; talis eſt Indulgentia Plenaria in conceſſione Altaris privilegiati Cappellæ S. M. de Guadalupe nationis Caſtellanæ, exiſtentis in noſtra Eccleſia S. Mariæ Angelorum Panormi. Data Romæ 3. Auguſti 1693. ab Innoc. XII. Summo Pontifice.

QUÆRES II.

262 *An Regulares teneantur ad Miſſam Conventualem, & an quando eam dicunt, poſſint applicare pro particulari accepto ſtipendio?*

Donatus *tom* 4. *tract.* 7. *quæſt.* 102. & 103. vult, eos teneri ſub mortali ad Miſſam Conventualem, eamque debere applicare pro benefactoribus, non pro pitantia. Probat ex *cap. Cum creatura de Celebrat. Miſſ. & ex Clem. gravi* 1. *de celebr. Miſſ. in* 6.

Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſol* 8. *tract.* 3. *reſolut.* 12. *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 51. & Verricelli *tract.* 8 *quæſt.* 30. defendunt, eos non teneri ad Miſſam Conventualem, eamque poſſe applicare pro particulari accepto ſtipendio. 1. Quia Eccleſiæ Regularium non ſunt Collegiatæ, hinc in allato cap. Clement. ab iis ſecernuntur, 2. Quia nulla lex id prohibet, nec adeſt ratio in contrarium; nam primus textus loquitur de Clericis, in odioſis autem nomine Clericorum non veniunt Regulares; ſecundus expreſſe loquitur de horis debitis, horis devote pſallendis.

QUÆRES III.

263 *An Sacerdos, qui ut celebret, cogitur emere ſacras veſtes, candelas, &c. poſſit licite ſtipendia Miſſæ augere?*

Caſum proponit Leander *tract.* 8. *de Sacrific. Miſſæ diſp.* 4. *qu.* 13. Qui reſpondet cum Philiberto, poſſe, quia alias eſſet pejoris conditionis illis Sacerdotibus, qui nihil inſumunt, niſi laborem celebrandi. Et quia detractis detrahendis, minima merces præfato Sacerdoti relinqueretur. Et nemo tenetur propriis ſtipendiis militare.

DECRETA SACR. CONGR. CONC. URBAN. VIII.

De Celebratione Miſſarum, edita 21. Junii 1625.

„ 264 1. Cum ſæpe contingat, &c. *Et infra.* Ac primo diſtricte prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, aut alias quomodocumque reducant onera Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: Alioquin deductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

„ 2. Deinde, ubi pro pluribus Miſſis etiam ejuſdem qualitatis celebrandis, plura ſtipendia quantumcumque incongrua, & exigua ſive ab una, ſive a pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuſcumque, tam ſæcularibus quam Regularibus, Sacra Congregatio ſub obteſtatione divini judicii mandat ac præcipit, ut abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

„ 3. Id vero ut deinceps obſervetur exactius, Sacra Congregatio, eadem authoritate, revocat privilegia, & indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac locis piis, tam ſæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

„ 4. Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem elemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

„ 5. Præterea, ne in Eccleſiis, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, ut par eſt, adimplendis, eo tepidiores, ac ſegniores reddantur, quod onera hujuſmodi, cum nulla, aut parva ſunt utilitate conjuncta; ſtatuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſiis, Hoſpitalibus, Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda a die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penes ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium ſub eadem pœna ut ſupra, deponi, atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis, cum ejus oneris repetitione, atque annexione, converti debeat.

„ 6. Ad hæc Sacra Congregatio, quibuſvis Capitulis,

„ lis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſæcularium, quam Regularium Superioribus; vel aliis, ad quos pertinent, diſtricte prohibet, ne in poſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, ſæculares quidem ſine Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares vero ſine Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin ſæcularis, qui hujus prohibitonis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis vero, pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque activæ, & paſſivæ, abſque alia declaratione incurrat.

„ 7. Eleemoſynas vero manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa, *Eleemoſyna pro Miſſis*, vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur.

„ 8. Epiſcopus vero, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiarum, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime conſtiterit illius Sacerdotes, tam novo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe; præcipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Eccleſiis, aut locis piis relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adjunctis, ſecundum morem cujuſque Civitatis vel Provinciæ; intelligantque, ſi in re tanti momenti deſides aut negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros, &c.

„ 9. Poſtremo Superiores exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, computent in primo congregando Capitulo redditus Conventuum, eorumque ſummam ad Sacram Congregationem mittant, ut &c.

DUBIA SUPER PRÆMISSIS DECRETIS SACRÆ CONGREGATIONI PROPOSITA.

„ 265 SUper primo Sacræ Congregationis decreto de celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis;

„ Quæritur: Quid ſi legatum ſit ita tenue, ut non ſit, qui velit onus illi injunctum ſubire; & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis?

„ Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, ut poſſit hujuſmodi onera moderari?

„ Secundo, ſuper ſecundo ejuſdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint;

„ Quæritur: An verba illa, *præſcriptæ fuerint*, intelligenda ſint de præſcriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

„ Tertio, an cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas illis ab Offerente præſcriptas celebrare?

„ Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Cappellæ, Legati, aut Salarii, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Miſſæ Sacrificio utriſque oneri ſatisfacere?

„ Quinto, poſito, quod teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Miſſæ, abſque ulla præſcriptione eleemoſynæ;

„ Queritur: An liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere, an vero eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

„ Sexto, ſuper tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu Orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat;

„ Quæritur: An verba, *in futurum ſuſcipiendis*, intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt privilegium?

„ Septimo, ſuper quarto ejuſdem Congregationis decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui ſuſcepit Miſſam celebrandam cum certa eleemoſyna; ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat;

„ Quæritur: An permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſervientium, paramentorum, luminum vini, Hoſtiæ, & ſimilium?

„ Octavo, an hoc decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, ideſt, an Rector beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redditus beneficii?

„ Decimo, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna major ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare camdem integram eleemoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt? An vero ſatis ſit, ut dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

„ Undecimo, ſuper quinto ejuſdem Congregationis decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba: *Eleemoſynas vero manuales & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant. Alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.*

„ Quæritur: An hoc decretum prohibeat abſolute, quo minus accipiant novas eleemoſvas ii, qui acceptis non ſatisfecerunt; & quid, ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

„ Duodecimo, quid ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento conſentiat, ut Sacerdos Miſſam celebret, cum primum poterit?

„ Decimotertio, an pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quam eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, ut ibidem præcipitur?

„ Decimoquarto, an in hoc decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſiis in die Commemorationis omnium Defunctorum, & vulgo dicuntur, *caſſe de' Morti*?

„ Decimoquinto, an Adminiſtratores Eccleſiæ magnæ devotionis, & concurſus, poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis, non niſi poſt longum tempus, ſatisfacere valeant, ne alias cultus Eccleſiæ, & devotio ac concurſus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

„ Decimoſexto, quia prohibitio dicti decreti videtur

„ ali-

„ aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & piorum locorum, tam ſæcularium, quam Regularium Superioribus, de quibus ſit expreſſa mentio; non autem privatis Sacerdotibus; qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali, & *aliis ad quos pertinet*, ſupplicatur pro opportuna declaratione.

„ Decimoſeptimo, ſuper ſeptimo ejuſdem Sacræ Congregationis decreto, quo cavetur; ut in ſingulis Monaſteriis Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis reditibus, aut eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari;

„ Quæritur; An ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim ſimilis decreti ſanctæ memoriæ Pauli V. abſque tamen computatione redituum cujuſque Religioſi, ſit denuo facienda, necne?

„ Decimooctavo, an Novitii ad habitum regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſteriis, in quibus habita, ut ſupra, præfixione numeri, commode ali non poſſunt?

„ Decimonono, ſuper ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita ut alioquin ſubſint juriſdictioni ordinariæ;

„ Quæritur: An hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueverunt onera Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jeſu?

„ Ultimo: An idem decretum, ubi diſponit ut nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia duntaxat, ad quam eſt reſtrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

DECLARATIONES, SEU RESPONSIONES AD SUPRADICTA DUBIA.

„ SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi a Sanctiſſimo Domino Noſtro attributa, ad ſingula dubia ſuperius propoſita, ad hunc modum reſpondit, videlicet:

„ Ad primum, etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſupra impoſiti, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam; quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino e re eſſe judicaverit. Veruntamen, ſi in ipſa beneficii erectione expreſſe cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, aut moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non ſuſtulerunt eſſe validam, & obſervandam.

„ Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius, ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

„ Ad tertium, teneri.

„ Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii, ſeu Cappellæ, Legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.

„ Ad quintum, cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

„ Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

„ Ad ſeptimum, reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum, ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca pia alios non habeant reditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licite poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ; & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

„ Ad octavum, non habere locum, ſed ſatis eſſe, ut Rector beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficii; aliud cautum fuerit.

„ Ad decimum, debere abſolute integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.

„ Ad undecimum, reſpondit, non prohiberi abſolute. Ac propterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

„ Ad duodecimum, quamvis onera ſuſcepta, infra modicum tempus adimpleri nequeant; ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, decretum non prohibere, quo minus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis juxta benefactoris conſenſum celebrandis.

„ Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcepturis onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

„ Ad decimumquartum, comprehendi.

„ Ad decimumquintum, non poſſe; niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, ut ſupra in reſponſione ad duodecimum.

„ Ad decimumſextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

„ Ad decimumſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſervata forma ultimi decreti hac de re editi.

„ Ad decimumoctavum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi alias habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio ejuſdem Religionis eſſe collocandos; ubi commode ali poſſint.

„ Ad decimumnonum, cenſuit comprehendere.

„ Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus Sacr. Congreg. Secretarius.

Quæ Decreta noviſſime confirmata fuere per eamdem Sacram Congregationem 23. Novembris 1697. Et roborata per Bullam Innoc. XII. incip. *Nuper* 22. Decembris 1697.

ADDITIO.

JUvat hic etiam integram referre Conſtitutionem Benedicti XIV. ſuper Miſſa Parochiali, & Conventuali, qua hujuſmodi Miſſarum applicatio diſtricte præcipitur. Conſtitutionis autem tenor eſt, ut ſequitur.

Cum

Cum ſemper oblatas nobis occaſiones Apoſtolica ſcripta dirigendi ad Fraternitates veſtras libenter amplectimur, ut ſinceræ noſtræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori animi alacritate idipſum præſtamus, quum ad excitandum Fraternitatum veſtrarum zelum pro conſervatione rectæ diſciplinæ in Clero regimini veſtro commiſſo, præſentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impoſitum imbecillitati noſtræ omnium Eccleſiarum ſollicitudinis onus aliter ſuſtinere nos poſſe confidimus, quam ſi Divini cultus augmentum, atque exactam Eccleſiaſticarum Sanctionum in ſingulis Diœceſibus cuſtodiam religioſæ vigilantium Paſtorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

Hujus porro Epiſtolæ ad vos ſcribendæ occaſionem nobis atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Miſſam Parochialem pro Populo ipſorum curæ commiſſo: tum etiam applicatio Miſſæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda eſt ab iis, qui Miſſas canunt in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; tum denique debitum pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Eccleſiarum Choro aſſiſtentes. Cujus quidem argumenti minime nova, ſed a ſcriptoribus frequenter habita tractatio eſt; cumque ea res in hujus Almæ Urbis noſtræ Congregationibus, & potiſſimum in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus conſtituti multos annos perfuncti ſumus, multoties diſcuſſa ac definita fuerit; quamvis earundem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, & ſibi conſona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædeceſſorum noſtrorum approbationem, & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum eſſet, eorum notitiam ad ſingulos quoſque veſtrum non adhuc perveniſſe. Quapropter non modo opportunum, verum etiam neceſſarium duximus, Encyclicam hanc Epiſtolam ad vos ſcribere, per quam, ſublata demum diverſarum, in quas ſcriptores abjerunt, opinionum varietate, conſtans hujus Apoſtolicæ Sedis ſententia prædictis de rebus cuilibet innoteſcat, & Fraternitatibus veſtris quædam veluti norma ac regula ſuppetat, juxta quam Synodales, aliaſque veſtras circa præmiſſa Conſtitutiones, Ordinationes, ſeu Edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum, juxta ea, quæ in præſentibus tenenda atque ſervanda præſcribimus, omni, qua decet, ſollicitudine ac vigilantia urgere ſtudebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum veſtrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recurſus ad hujus noſtræ Curiæ Tribunalia forſitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos eſſe præcipimus ac jubemus, quamobrem has ipſas Literas noſtras in ſingulorum Tribunalium Regeſtis aſſervari volumus, atque ad earum præſcriptum tam ipſorum Tribunalium reſolutiones, quam de veſtris decretis, quæ ipſi præſentibus inhærentes edituri eſtis, judicia exigi, & conferri mandamus.

Et quidem quod nuper enunciavimus, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium a Paſtoribus animarum applicari debere pro Populo ipſorum curæ commiſſo, id veluti ex Divino præcepto deſcendens, a Sacra Tridentina Synodo diſerte exprimitur *ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformat.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes hujuſmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel ſaltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba ſatis clara, & perſpicua ſint, *quumque prædicta Congregatio ejuſdem Concilii interpretationi privative præpoſita, conſtanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata eſt, non modo Sacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujuſmodi applicatione eleemoſynam percipere poſſe; quodque magis intereſt, quum hæc intelligentia a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata: nihil jam amplius ulli veſtrum deſiderandum ſupereſt, ut eam amplecti, eidemque obſequi, necnon illius promtam executionem in veſtris reſpective Diœceſibus omni ſtudio procurare debeatis.*

Neque nos tamen, qui ut ſuperius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, alioſque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononienſis, Patriæ noſtræ dilectiſſimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione aſſidue tranſegimus, non inquam nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare ſatagunt, quibuſque proinde opportune a nobis eſt occurrendum.

Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Epiſcopis mandet, ut quotieſcumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum aſſignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre eſt *in ſeſſ. 7. cap. 5. & 7. ſeſſ. 21. cap. 6. ſeſſ. 25. cap. 16.* non raro autem eveniat, ut aliqua Eccleſia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujuſmodi Eccleſiæ onera, uſque ad novi Rectoris electionem, ab Epiſcopo deputari debeat, eodem Conc. Trident. id jubente *ſeſſ. 24. cap. 28. de Reform.* nonnulli ex hujuſmodi Vicariis nituntur ſe ipſos a prædicta obligatione ſubtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium ſeu alios reſidente, ipſi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipſi ſint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujuſmodi curæ ſint addicti; ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Miſſæ pro Populo nonnunquam alienos ſe oſtendunt. *Itaque mens Noſtra, & ſententia eſt, ſicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes, & ſinguli, qui actu animarum curam exercent & non ſolum Parochi aut Vicarii Seculares, verum etiam Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes & ſinguli, de quibus ſupra dictum eſt, atque alii quicumque etiam ſpecifica, & individua mentione digni, æque teneantur Miſſam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, ipſorum curæ commiſſo.*

Nonnulli vero ad evitandum hujuſmodi obligationis implementum, allegare ſolent, congruos ſibi Parochiæ ſuæ reditus non ſuppetere; alii denique ad inveteratam conſuetudinem confugiunt, ſuſtinentes id neque ſibi, neque deceſſoribus ſuis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in uſu fuiſſe. *Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii reſolutiones noſtram approbationem, & confirmationem extendimus; & quatenus opus ſit, auctoritate Apoſtolica iterum tenore præſentium decernimus, & declaramus, quod licet Parochi, ſeu alii, ut ſupra, animarum curam habentes, congruis præfinitis reditibus deſtituantur, & quamvis antiqua ſeu etiam immemorabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus ſeu Parochiis obtinuerit, ut Miſſa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis debeat applicari.*

Datum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, Miſſæ Sacrificium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, non ideo ſtatuere voluimus, eoſdem aut quotidie, aut quotieſcumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ. 25. c. 14.* præcipit Epiſcopis curare, ut Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus Miſſarum ſacra faciant, *ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent;* in pluribus autem Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus novimus provide conſtitutos ac deſignatos eſſe dies, quibus animarum Paſtores Miſſas celebrare debeant. At vero nos id unum præſenti ſuſcepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare, & applicare teneantur; *& quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii reſponſum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare, & applicare debere; eum vero qui uberioribus hujuſmodi reditibus non gaudeat, feſtivis tantum diebus id ipſum præſtare teneri:* quum tamen pariter nobis perſpectæ ſint tum controverſiæ ſuper hoc ipſo exortæ, nimirum ad quam ſummam pertingere debeant Eccleſiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari poſſint: quoniam pingues minime habendi ſunt redditus, etiam copioſi, quibus tamen multiplicia, & gravia ſint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adverſus hujuſmodi decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitatæ, nobis innoteſcant: *Idcirco opportunum cenſemus Fraternitatibus veſtris declarare, nobis abunde ſatisfactum fore, vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Miſſæ pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliiſque per annum diebus Feſtis de præcepto;* quum prædicti Dominici, aliique Feſti dies ii ſint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini *ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 25. c. 4.* quilibet animarum curæ præpoſitus Populum ſibi commiſſum ſalutaribus verbis paſcere debet, docendo ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; iidemque ſint dies, de quibus eadem Sancta Synodus ſtatuit, ut *moneat Epiſcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei;* & quibus Parochi ſubditos ſuos in Doctrina erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio in *citat. Cap. 4.* Epiſcopis præcipitur, ut nempe *ſaltem Dominicis & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis Parochiis, Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & Parentes, diligenter ab iis ad quos ſpectabit, doceri curent.*

Et quia in nonnullis Diœceſibus numerus dierum Feſtorum de præcepto, de Apoſtolica noſtra auctoritate & conſenſu, eatenus eſt imminutus, ut nempe in aliquibus Feſtis Chriſti fideles, & Miſſam audire & ab operibus ſervilibus abſtinere debeant; in aliis vero Populo permiſſum ſit opera ſervilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Miſſæ Sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Miſſæ Parochialis in hujuſmodi diebus Feſtis, penitus eliminentur, *ſtatuimus & declaramus, quod etiam iiſdem Feſtis diebus, quibus Populus Miſſæ intereſſe debet, & ſervilibus operibus vacare poteſt, omnes animarum curam gerentes Miſſam pro Populo celebrare, & applicare teneantur.*

Quia vero propria nonnunquam experientia ſatis agnovimus, aliquos eſſe Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemoſynis, quas a Fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, Eccleſia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, ſub Vicarii, ſeu Oeconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipſis conſtituti, & pauca incerta emolumenta eiſdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ neceſſaria ſufficiant; quod iis quoque non raro evenire ſolet, qui in aliquibus Eccleſiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio ſunt addicti, proindeque cum iſtis ſevere nimis agi videretur, ſi diebus feſtis, quibus potiſſimum hujuſmodi occaſio ſe offert, eiſdem vetitum eſſet eleemoſynam pro applicatione Miſſæ recipere: *Idcirco nos tam iſtorum, quam illorum inopiam ſummopere miſerantes, eiſdemque, quantum nobis integrum eſt, conſulere volentes; quamvis, ut ſupra dictum eſt, omnes & ſinguli prædicti teneantur diebus feſtis Miſſam pro Populo celebrare, & applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique veſtrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales eſſe noveritis, opportune diſpenſandi, ad hoc, ut, etiam diebus feſtis hujuſmodi, eleemoſynam ab aliquo pro offerente recipere, & pro ipſo Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere & licite poſſint & valeant; dummodo ad neceſſariam Populi commoditatem, in ipſa Eccleſia Parochiali Miſſam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Miſſas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus feſtis, infra eandem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.*

Quod autem ſpectat ad Vicarios, ſive Oeconomos, Eccleſiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio *citat. ſeſſ. 24. c. 18.* cuilibet Epiſcopo tribuatur facultas eos deputandi, & conſtituendi, *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione;* veſtrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Eccleſiæ fructus exigunt, *ut egenti Vicario, qui exigua hujuſmodi certorum fructuum aſſignatione, pauciſque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro Populo diebus feſtis. Quapropter pro iis locis, in quibus Eccleſiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ exigitur, opportuna Theſaurario noſtro Generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Epiſcopi Eccleſiaſticæ noſtræ ditionis, ceterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Eccleſiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii ſui partes in eum finem, de quo ſupra diximus, interponere debebunt.*

Ac demum, quoad illos, qui tanquam *Vicarii*, ſive perpetui, ſive ad tempus conſtituti, animarum curam adminiſtrant, quæ apud alios habitu reſidet, ratione alicujus Eccleſiæ Parochialis ipſorum Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ; quamvis a recol. mem. Prædeceſſore Noſtro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujuſmodi Vicariis aſſignanda, prout in ipſius Conſtitutione, quæ incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris Anni MDLXVII. diſtincte ſtatuitur; *nihilominus ubi præſcripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis aſſignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Conſtitutionis eiſdem fuerit attributa, minime ſufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumſtantias, & ſignanter pro implendo onere celebrandi & applicandi Miſſam pro Populo diebus Feſtis de præcepto; utendum vobis erit poteſtate, quam fecit Epiſcopis Synodus Tridentina ſeſſ. 7. c. 7. dum illorum arbitrio permiſit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem aſſignare;* quam ob cauſam nos etiam Fraternitatibus veſtris, quatenus opus ſit, neceſſarias omnes & opportunas facultates impertimur; quibuſcunque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio ſancitur, adverſus ea, quæ ſalubriter a vobis conſtituta fuerint, minime ſuffragantibus.

Hæc igitur circa Miſſam Parochialem ſtatuenda, & Fraternitatibus veſtris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent ad Miſſam Conventualem, neminem veſtrum latere putamus Sacrorum Canonum ſanctiones, quibus præcipitur, ut ſingulis diebus in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis tum horæ Canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam *Miſſa Conventualis* celebretur, quæ adeo claræ ſunt, ut nulla ſuper iis oriri poſſit dubitatio, eaque de re perſpicuæ pariter, & per omnia uniformes exiſtunt Reſolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apoſtolica Auctoritate noſtra confirmamus,

mus, & approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: *ut ſcilicet Miſſa Conventualis, quæ ſingulis diebus canitur a Clero prædictarum Eccleſiarum, pro earundem Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorſus modo, quo Miſſam Parochialem ab iis qui curam Animarum gerunt, pro Populo ſibi commiſſo, ſingulis ſaltem diebus feſtis de præcepto, applicari debere ſuperius declaravimus. Itaque date operam, ut falſam quorundam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Eccleſiis ejuſmodi, ſive dolo malo, ſive per errorem invectam eſſe novimus: quod nempe dum Miſſa Conventualis pro certo aliquo Eccleſiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impoſiti celebratur, & applicatur, ſatis impletum cenſeatur debitum applicationis Miſſæ Conventualis. Etenim hujuſmodi debitum non quidem reſpicit ſingulares aliquos Benefactores, ſed Benefactores in genere cujuslibet Eccleſiæ, cujus ſervitio addicti ſunt quicumque in eadem ſive Dignitates, ſive Canonicatus, ſive Manſionariatus, ſive Beneficia Choralia obtinent, & Miſſam Conventualem ſuis reſpective vicibus celebrant.*

Neque minus improbandam noveritis aliorum ſententiam: qui ſatis putant ſupradictam obligationem impletam eſſe, dum in eorum Eccleſiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniverſaria ſtatis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id ſibi arrogare debet, ut impoſitæ obligationi alia ratione ſatisfacere poſſit, quam ea, quæ a Lege Eccleſiaſtica multoties præſcripta fuit; nimirum Miſſam Conventualem ſingulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

Profecto non ſolum prioribus Eccleſiæ ſæculis, verum etiam temporibus haud longe a noſtra ætate remotis (quod Vos ex hiſtoria Eccleſiæ didiciſſe non dubitamus) ſervabatur olim in ſingulis Eccleſiis ſeries accurata omnium, & ſingulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, ſic enim vocabantur, ideo conſignata erant, ut eorundem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Miſſæ Sacrificium offerretur; quam ob cauſam etiam prædictus Catalogus in pleriſque Eccleſiis ob oculos Preſbyteri Celebrantis apponi conſuevit, licet iidem pii Benefactores in ſuis donationibus nihil penitus pro ſe pacti eſſent, ſed tantummodo pro peccatorum ſuorum remiſſione ſe bona ſua Deo offerre declaraſſent. Eccleſiarum ſiquidem Præſules preces pro iis imperandas eſſe duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re feciſſent. Sacrorum hujuſmodi Diptychorum uſus ſenſim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deſerere fas eſt uſum, & diſciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Miſſæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem deſumit.

Quemadmodum vero, loquendo de Miſſa Parochiali, ſuperius dictum eſt, varias excuſationes afferri ſolere, ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus feſtis de præcepto; ita pariter uſuvenit quoad applicationem quotidianam Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem ſuperiores illæ, ſic etiam hæ poſteriores, provide e medio ſublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini reſolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Noſtra approbamus, & confirmamus.

Nonnulli ſiquidem obtentu *contrariæ conſuetudinis*, etiam immemorabilis, in propria Eccleſia vigentis, ſe ab hujuſmodi onere eximi poſſe ſibi perſuaſerunt. *Verum jam pluries reſponſum fuit, hujuſmodi conſuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abuſus, & corruptela dicenda eſt, nemini ſuffragari.* Alii a Miſſa pro Benefactoribus in genere applicanda ſe excuſatos voluiſſent, ex eo quod alio quopiam Miſſarum onere obſtricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Eccleſiaſtici, quod ſimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia; præter munus Canonici, ſeu Beneficiati, aut Manſionarii in Eccleſia Cathedrali ſeu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Eccleſia Parochialem curam exerceant, dum Miſſam Conventualem canunt diebus feſtis de præcepto, debent pro Populo ſibi commiſſo eam applicare: ac proinde nequeunt eandem pro Eccleſiæ Benefactoribus ſpecialiter offerre. Sed his quoque obviam itum eſt, jubendo *ſingulis prædictis, ut Miſſam Conventualem, quam canunt, pro Eccleſiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero pro quibus ipſi peculiariter Miſſam applicare tenentur, alterum ſubſtituant, qui ipſorum loco Miſſam hujuſmodi celebret, applicetque.*

Aliorum pariter exceptio fuit, quod Miſſa Conventualis non ſemper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, ſed aliquando etiam a Beneficiatis aut Manſionariis, quos minus æquum videtur pro Miſſæ celebratione omni eleemoſyna carere, quæ unde deſumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter conſultum eſt, demandando, ut ea deſumatur ex Maſſa diſtributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem hujuſmodi diſtributionum, quæ, ob detractam eleemoſynam quotidianam pro Miſſa Conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento ſervitii Eccleſiæ præſtandi. Tridentina quidem Synodus *ſeſ. 24. c. 15.* opportunas rationes oſtendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero deſignatam a Concilio viam, ut fere evenire ſolet, nequaquam iniri poſſe contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recurſum habere; cujus erit, perſpecto ex veſtris relationibus rerum ſtatu, auctoritate Apoſtolica a Prædeceſſoribus noſtris eidem impartita, & a nobis etiam præſentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Miſſæ conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad Feſtos tantummodo dies reducere.

Non modo Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Miſſa Conventualis in eiſdem canatur, ſed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactiſſimam Fraternitatibus veſtris cuſtodiam commendamus, præſcribitur, ut certis diebus non una, ſed binæ, atque etiam aliquando tres Miſſæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a nobis dictum fuerit, primam Miſſam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam, & applicandam eſſe; nunc expendendum ſupereſt, an earundem Eccleſiarum Capitula Juriſdictioni veſtræ reſpective ſubjecta adigere debeatis, ut alias quoque Miſſas, ſi plures, ut præfertur, celebrari contingerit, pro Benefactoribus in genere ſimiliter applicent.

Hujuſmodi quæſtio ab aliquibus ex Vobis Eccleſiaſtico zelo flagrantibus ſupradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum propoſita eſt. Jamque ante illius propoſitionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione reſponſum fuiſſe, concedendam eſſe exemptionem ab onere applicandi ſecundam & tertiam Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum, & Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, hujuſmodi applicationis debitum manere, ubi de Eccleſiis pauperibus non ageretur. Verum quum hanc definiendæ quæſtionis regulam apud practicam Congregationem non admodum veteri obſervantia firmatam probe noverimus, cumque hujuſce dubii ſolutionem eadem Congregatio nuper judicio Noſtro remittendam eſſe cenſuerit; *Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus; laudandos nempe, & confirmandos eſſe, quotquot ſponte ſua ſecundam, aut tertiam Conventualem Miſſam pro Benefactoribus in genere applicant, qui vero idem agunt ex vi conſuetudinis in ipſorum Eccleſia vigentis, iis imperandum, ut in ea conſuetudine perſeverent. Ubi vero id uſu receptum non invenitur, liberam omnino ſecundæ, tertiæque Miſſæ Conventualis applicationem celebrantibus*

relinquendam eſſe, dummodo in commemoratione pro Defunctis, Eccleſiæ Benefactorum in genere non obliviſcantur.

Huic demum Epiſtolæ noſtræ finem imponentes, Fraternitates Veſtras enixe hortamur, ut maximam curam, & vigilantiam in id conferatis, ut in Eccleſiarum Veſtrarum Choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Miſſæ Conventualis, Horæ Canonicæ non præpropere, ſed exacte, Pauſa nempe interpoſita, & maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur. Equidem ſcimus, in aliquibus Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis, inter Canonicos eam opinionem invaluiſſe, ut ſe munus ſuum ſatis implere contendant, dum Choro præſentes aſſiſtunt, licet ipſi ſibi ſilentium imperent, neque pſallentibus Beneficiatis, aut Manſionariis in cantu ſe adjungant. In hujuſce vero opinionis confirmationem, adduci ab iiſdem ſolent inveteratæ conſuetudines, ſtatuta peculiaria, aut etiam prætenſa Eccleſiarum ſuarum Privilegia. At quum Synodus Tridentina *ſeſſ. 24. c. 12.* loquens de Dignitatibus, & Canonicis, qui Choro intereſſe debent, unum ex eorum officiis eſſe dicat, *in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare;* quumque pauca omnino ſint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro aſſiſtitur, ideoque receptæ in univerſa Eccleſia diſciplinæ paucos illos adverſari dignoſcatur; quum inſuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præpoſita examinata ſit, quin ſtatim exploſa fuerit, & improbata; quamvis præſumptis conſuetudinibus, aliiſque fundamentis, & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Eccleſiarum Patriarchalium hujus noſtræ Urbis ſuper hoc inſtantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apoſtolica Sede approbatis, & confirmatis: nihil jam reliquum eſſe videtur, quominus pauciores univerſorum legi ſe accommodent. *Equidem minime nobis compertum eſt, quo peculiari titulo ſuffulti perſuaſum habeant unius, vel alterius Eccleſiæ Canonici ſe muneri ſuo ſatisfacere per ſimplicem in Choro aſſiſtentiam, abſque Divinæ Pſalmodiæ Cantu. Verum niſi illis præſto ſit Apoſtolicum non præſumptum vel abrogatum, ſed legitimum ac vigens Privilegium ſive Indultum, jure ac merito verendum eſt, ne iſti, dum ita ſe gerunt Præbendarum ac diſtributionum fructus minime ſuos faciant; & conſequenter ne ad eorum reſtitutionem teneantur.* Quapropter veſtrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque nobis, neque vobis apud Divinum Judicem fraudi ſit, ſi in hujuſmodi re, quæ tanti eſt momenti, utpote quæ ad ipſius Dei cultum proxime ſpectat, abuſus & corruptelas, & quas arguendo, & increpando evellere debebamus, diſſimulatione ac ſilentio noſtro foviſſe & confirmaſſe inveniamur. Interea Fraternitatibus veſtris, quas Intimo cordis affectu complectimur, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XIX. Auguſti MDCCXLIV. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

DE TEMPORE OBLIGATIONIS.

266 SAcerdos, qui plura onera Miſſarum ſuſcepit, debet eas celebrare intra modicum tempus, niſi conferens eleemoſynam ſciat & conſentiat, ut celebratio differatur, donec aliis ſatisfaciat. Sacr. Congr. *ad undecimum*.

Modicum tempus judicandum eſſe conſideratis Miſſarum numero, neceſſitate petentium & ſimilibus circumſtantiis, volunt nonnulli. Alii extendunt ad tres menſes, & alii ad duos, moti ex Trident. *ſeſſ. 23. de reformat. cap. 1. & ſeſſ. 24. cap.* 12. ubi Epiſcopis per tres menſes, canonicis vero, & ſimilibus per duos conceditur poſſe a ſuis Eccleſiis abeſſe.

Aliquando dilatio unius diei poteſt eſſe notabilis, ut ſi quis velit Miſſam pro Agonizante, pro lite eo die decidenda, &c.

QUÆRES,

267 *An omittens, aut notabiliter differens unam vel alteram Miſſam, peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem?*

PEccare ſolum venialiter, vult Tambur. *in meth. celebr. Miſſ. lib. 3. c. 1. §. 9. n.* 18. quia in omiſſione Miſſæ attendi debet damnum temporale ex quantitate ſtipendii, non ſpirituale; alioquin mortalis eſſet omiſſio Salutationis Angelicæ.

Reſpond. Peccare mortaliter, & ad reſtitutionem teneri, Maſtr. & Bonac. quia materia ſtipendii eſt gravis ratione circumſtantiæ adjunctæ, nempe damni gravis ſpiritualis, cujuſmodi eſt privatio fructus Miſſæ debiti ex juſtitia.

Ad rationem in oppoſitum: licet quodlibet bonum ſpirituale ſit appretiative majus quolibet temporali; intra lineam autem boni ſpiritualis, ſecundum moralem hominum exiſtimationem, datur parva materia: liquet ex doctrina communi; fructus divini Officii eſt ſpiritualis, & tamen datur in illo parvitas materiæ, qualis dicitur omiſſio unius Pſalmi, atque etiam gravitas materiæ, & qualis eſt omiſſio unius horæ; ita multo magis omiſſio unius Miſſæ: nam onus, quod ibi parit præceptum, hic parit ſtipendium, & pactum; & ſimiliter, ſi omiſſio unius Pſalmi eſt venialis, ita omiſſio unius Ave.

268 Sacerdos non obligatus ex ſtipendio, peccat mortaliter, ſi legitime non impeditus, quater, aut ter ſaltem in anno in feſtis ſolemnioribus non celebret, Leand. *tract. 8. de Sacrific. Miſſ. diſp. 5. q. 1.* contra Dianam *part. 2. tract. 4. reſol. 19.* quia regulariter ſcandalum adeſt; quis enim ſciens, Sacerdotem non legitime impeditum, nunquam celebrare, non pariat ſuſpicionem ejus perverſæ conſcientiæ, cum periculo in juvenibus labendi ad ejus exemplum?

269 Sacerdos etiam Parochus die Nativitatis Domini non tenetur omnes tres Miſſas celebrare, ſicut nec Parochiani tenentur omnes tres audire; quia celebratio trium Miſſarum eſt privilegium, non præceptum;

DE OBLIGATIONE QUOAD LOCUM.

270 SAcerdos, qui ex fundatione, aut alio titulo tenetur in aliqua Eccleſia, aut Altari determinato celebrare; ſi teſtator Eccleſiam, aut Altare determinavit exprimens, id velle ob peculiarem ſui devotionem ad locum illum, ſeu imaginem, in decorem, & ſplendorem ſuæ domus, cujus eſt Capella, vel in commodum populi, ut ibi Miſſam poſſit audire; peccat mortaliter alibi celebrando, niſi raro id faciat, puta ter, aut quater, ob parvitatem materiæ; nec tunc peccabit venialiter, ſi ex rationabili cauſa faciat ex præſumpta teſtatoris voluntate. Quod ſi ad nil eorum reſpexit teſtator, qui deſignavit Altare; tunc non erit mortale in aliis Altaribus, ejuſdem tamen Eccleſiæ, celebrare. In aliis autem Eccleſiis celebrare cederet in præjudicium prioris Eccleſiæ, quæ jus acquiſivit, & eſſet mortale, niſi raro fieret; aut niſi ob Sacerdotum multiplicitatem parum unius Miſſæ celebratio ibi reputaretur.

271 Si teſtator in determinando Altari non reſpexit ad cauſas prædictas, poteſt in alio Altari ejuſdem Eccleſiæ, quod ſit privilegiatum celebrare, Leander cum Lugo *de Sacrific. Miſſ. tract. 8. diſp. 4. qu. 27.* quia gerit utilius rem teſtatoris, qui proinde non præſumitur rationabiliter invitus. Quod potiori jure dico, ſi erectio Altaris privilegiati in Eccleſia illa facta eſſet poſt teſtatoris mortem; tunc enim Sacerdos ibi celebraret ex voluntate rationabiliter, & prudenter, imo moraliter certo præſumpta teſtatoris; quilibet namque

præſumitur, quod velit id, quod eſt ſibi utilius. Tunc quidem teſtator, ſi viveret, gratias Sacerdoti ageret, ſicut gratias ageret creditor, ſi debitor unum debens, duo ſolveret, unum ex juſtitia, aliud gratis.

Dic quæſo: ſi tibi daretur opinio eligendi ſolum fructum Miſſæ, aut fructum Miſſæ una cum Indulgentia Plenaria liberationis animæ: quid ſeligeres? Illud ſcio, fructum Miſſæ animæ applicatum eſſe finitum, & tantum pœnæ Purgatorii ſatisfacere, quantum Deus ſua infinita ſapientia diſponit, ut in *n.* 234. Indulgentiam vero Plenariam ſolvere plene, & adæquate totam pœnam in Purgatorio debitam, ut in *tom.* 1. *de Altari privileg.*

Imo ſi fundator deſignavit Eccleſiam, habens pro fine, ut ibi frequens populus audiat; & contingat, ut nullus, aut valde pauci eo ad Miſſam accedant, tunc Sacerdotem poſſe alibi celebrare, tenet Tamb. *in meth. celebr. Miſſ. lib.* 3. *cap.* 6. §. 3. *num.* 3. niſi aliud ſit in fundatione expreſſum, quia ceſſante cauſa finali ceſſat effectus, & talis præſumitur teſtatoris voluntas.

272 Celebrans ſine juſta cauſa in alio templo, aut Altari, peccat, uti ſupra, ſed non tenetur reſtituere ſtipendium hæredibus, aut Miſſam in loco deſignato repetere, quia Miſſa ubique eſt æqualis valoris. Unde hic fidem fregit, non juſtitiam, Leander *tract.* 8. *de Sacrific. Miſſ. diſp.* 4. *quæſt.* 25. & Bonacin.

Quod ſi teneatur celebrare in Altari privilegiato, alibi celebrando, eum teneri ad reſtitutionem compenſando aliis orationibus, docet Diana *part.* 2. *tr.* 4. *reſol.* 29. negat Tambur. *cit. n.* 10.

Non enim (ait) tenetur ad repetendam Miſſam; quia reſtitueret plus, nempe duas applicationes, & onus reſtitutionis eſt ad æquale, non ad plus. Nec ad orationes; quia tale onus eſt ſcrupulorum fomentum; nam cum neſciat, quanta ſit pœna ſatisfacienda, neſcit, quantæ ſint orationes neceſſariæ.

Conſulo, ut talis Sacerdos aliquam Indulgentiam Plenariam hujuſmodi animæ applicet.

Obligatum celebrare in Altari privilegiato, ſi celebret in alio Altari applicando Medaliam, Coronam, ſeu calculum privilegiatum, non ſatisfacere tenet Tambur. *cit. n.* 11. cum de Lugo, quia Indulgentia Altaris eſt tuta, Medaliæ minus certa.

At ſatisfacere, docent Bordon. *reſol.* 25. *q.* 25. Dian. *part.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 12. & alii, ſi teſtator nil aliud intendat, niſi liberationem animæ, quia ſatisfacit per æquivalens, & differentia Altaris ac Medaliæ, quoad hoc eſt materialis. Minor certitudo purgatur, ſi Medaliam habuerit a Papa, aut fide digno.

DE VACATIONE.

273 CAppellanus, ſi per modicum tempus infirmetur, non tenetur ſatisfacere per alium, aut compenſare: idque ex rationabiliter præſumpta voluntate fundatoris. Modicum alii dicunt decem dies, alii menſem, alii cum Peyring. duos menſes reſpectu totius anni.

Cappellanus, ſeu beneficiatus obligatus toto anno celebrare quotidie, ſive directe, ſive indirecte, quatenus onus eſt impoſitum Eccleſiæ, ut in ea a Cappellano continue celebretur, poteſt vacare ſemel in hebdomada, non ex parvitate materiæ, ſed ex præſumpta fundatoris voluntate, & conſuetudine: niſi onus ſit impoſitum Eccleſiæ, ut curet dici Miſſam quotidie, vel niſi expreſſe Cappellano imponatur, ut Miſſas quotidie per ſe, vel per alium ſine interruptione celebret.

274 Item talis Capellanus poteſt quater, aut ſexies in anno pro ſe, aut ſuis celebrare, ex eadem præſumpta voluntate fundatoris, qui non eſt credendus, quod voluerit hoc ſingulare auxilium ſpirituale ſuo Cappellano denegare: ſi enim de hoc interrogatus fuiſſet aut cogitaſſet, non negaſſet. Diana, Peyr. & Tambur.

275 Pro his Miſſis, quando pro aliis applicat, non poteſt ſtipendium accipere; nec quando ei vacare permittitur, poteſt pro alio celebrare accepto ſtipendio; nam hoc eſt avaritiæ genus. Et Miſſæ Cappellani, quando celebrat, ſunt fundatoris, ſicut fructus agri, ſive tenuis, ſive pinguior eſt domini.

276 In legatis vero non eſt concedenda vacatio, neque ratione infirmitatis, ſicut in Cappellaniis; ſed eſt Miſſa per alium Sacerdotem ſupplenda. Hujuſmodi ſolent eſſe Miſſæ perpetuæ in Monaſteriis ab ipſis Monialibus relictæ; ſunt enim proprie legata, minime Cappellaniæ, niſi improprie, & vulgo ſic dictæ; quia Monialis non fundat Eccleſiam, aut Altare, cum deputatione Clerici, ut ei inſerviat, aſſiſtat, &c. in *n.* 248. ſed ſolum legat Monaſterio Miſſam pro ſua anima in ea Eccleſia celebrandam. Et ita ſervatur Panormi in Eccleſia Patrum Oratorii, ubi aſſignatur Sacerdoti legatum; ſed eo vacante etiam per unum diem, & ob infirmitatem, ſuppletur Miſſa per alium, ut in Miſſis manualibus.

Aliqua tamen epicheja uti poſſumus in legato perſonali, relicto ſcilicet tali Sacerdoti individuo, cum reſpectu ad Sacerdotis perſonam, quam legans intendit juvare juxta dicta *n.* 249.

277 Cappellanus tenetur celebrare per ſe ipſum, ſi id fuerit in fundatione Cappellaniæ expreſſum. Sed tunc poteſt eligi Cappellanus non Sacerdos, qui infra annum poſſit ordinari in Sacerdotem; hoc namque etiam in beneficiis Parochialibus indulgetur. Si vero non exprimatur, quod debeat eſſe Sacerdos, qui per ſe ipſum Miſſas celebret, tunc poterit celebrare per alium; imo poterit Cappellania conferri ei, qui decimumquartum annum agit, Mendo *ver. Cappellania n.* 5. *v. n.* 108.

DE DISPOSITIONE SPIRITUALI SACERDOTIS.

278 NOn peccat mortaliter ſacerdos celebrans, non recitato Matutino, Donatus *t.* 4. *tract.* 7. *quæſt.* 84. quia non conſtat, quod conſuetudo ſit accepta ſub culpa. Et Rubrica non eſt præceptum, ſed conſilium ob devotionem majorem. His rationibus Tambur. *in Meth. celebr. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 7. §. 2. *n.* 3. infert nec eſſe veniale.

279 Sacerdos celebraturus, & laicus communicaturus, quamvis ſit contritus, ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. *& can.* 11. debet confeſſionem præmittere: *Modo non deſit illis copia Confeſſoris; quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Idque ex Præcepto ex illo Pauli ad Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

280 Neceſſitas ex triplici capite poteſt oriri, 1. quia *deſit copia Confeſſarii*, 2. ex *infamia*, 3. ex *damno*.

DEEST COPIA CONFESSARII

281. 1. SI ſit, & non velit audire, 2. ſi Religioſus habeat caſum reſervatum, & Superior a pio Confeſſario requiſitus licentiam abſolvendi neget.

282 Tunc Confeſſarius inferior poteſt dictum Religioſum directe a caſu reſervato, ſeu excommunicatione reſervata abſolvere *pro illa vice*, Diana *p.* 9. *tract.* 3. *reſ.* 15. facultate illi conceſſa a Papa in eo caſu denegatæ licentiæ per Decr. S. Conc. die 21. Septembris 1624. juſſu Urbani VIII. editum ſupra Decr. Clem. VIII. de reſervatione caſuum a Regularibus facienda, quod eſt in Bulla Cher. p. 67. & Lantuſchæ Bulla 28. p. 72. ubi particula *pro illa vice*, intelligitur toties, quoties caſus occurrerit, quia non opponitur particula taxativa, *tantum*; unde ſignificat illam vicem, quando Confeſſarius facultatem petit, & Superior denegat. Diana *cit.*

283 Si Confeſſarius diſtet per tria milliaria, Canus vult, quod cenſeatur abſens; alii volunt, quod ſit adeundus, ſi non ſingulis diebus, ſaltem aliquoties. Tambur. cum de Lugo id remittit arbitrio prudentis juxta

circumſtantias perſonæ, temporis, difficultatis, itineris, &c.

EX INFAMIA.

284 SAcerdos, ſi dum ſacris indutus veſtibus pergit celebraturus, vel poſtquam Miſſam incœpit, recordetur peccati mortalis a ſe poſt ultimam Confeſſionem commiſſi, & non poteſt ſine infamia, quam prudenter timet, ſe divertere ad confeſſionem, ſufficit; quod eliciat actum contritionis putatæ, & ſic poteſt ſacrificium inchoare, & inchoatum perficere. Ita pariter, ſi recordetur ſe eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, interdictum, vel irregularem. Idem dicitur de laico, ſi genuflexus ante linteum pro communione, recordetur peccati poſt Confeſſionem commiſſi, & ex receſſu timeat notam infamiæ: quia præceptum divinum poſitivum reſpiciens propriam utilitatem ſpiritualem operantis, quale eſt de integritate materiali Confeſſionis, & de præmittenda Confeſſione, non obligat cum tanto rigore, ſed humano modo; unde non obligat urgente neceſſitate, ſeu jure naturali, quale eſt de vitando gravi damno in fama, &c. Immo ſi Miſſa ſit inchoata, ultra notam infamiæ, urget reverentia ſacrificio debita, ut perficiatur.

285 Sacerdos autem iſte tenetur poſtea confiteri *quamprimum*, videlicet intra triduum. Diana nam *ex l. final. Cod. de Judiciis: Illico*, ideſt *intra triduum*. De Lugo id remittit arbitrio boni viri. Et quidem contingere poteſt caſus, ut primo die aptus Confeſſarius contingat, qui forte poſtea intra triduum non continget; tunc, inquam, non debet Sacerdos opportunitatem illam negligere: *vid. tom.* 1. *de auditione Miſſæ, ver. Integritas*, §. *Qui mane.*

286. Quæ particula, *quamprimum confiteatur*, non ligat Laicos, ſed Sacerdotes. Non eſt autem conſilium, ſed præceptum ſub mortali obligans; quia communis intellectus Doctorum, optimus legis interpres, illud intelligit eſſe præceptum, cui non ſatisfaciat Sacerdos, ſi ſuo tempore confiteatur, alias Trident. ad nil novi per illam particulam obligaret; nam Sacerdos ille, quando denuo celebrare debet, tenetur ex præcepto divino confeſſionem præmittere: *vid. tom.* 1. *Propoſit.* 38. *&* 39. *ab Alex. VII. damn.*

287 Si autem peccatum, cujus recordatur, fuerit commiſſum ante Confeſſionem, ac proinde indirecte abſolutum, non tenetur de eo actum contritionis elicere; quia nulla eſt ejus neceſſitas, aut præceptum; nam cum fuerit de eo indirecte abſolutus, jam eſt in gratia, & diſpoſitus, & ſolum habere debet propoſitum ſuo tempore confitendi peccatum oblitum.

288 Extra caſum vero urgentis neceſſitatis, tenetur confeſſionem talis peccati mortalis obliti præmittere; quia præceptum eſt de præmittenda confeſſione integra, nedum formaliter, ſed etiam materialiter: & peccata in confeſſione oblita, ſunt abſoluta indirecte, adeoque cum onere ea poſtea ſubjiciendi directe clavibus: *vid. t.* 1. *Propoſ.* 11. *ab Alex. VII. damn.*

EX DAMNO.

289 SIve temporali, ſive ſpirituali, quod prudenter times. Unde Sacerdos, ſi ex confeſſione alicujus cum quodam Confeſſario timet non leviter, ſed prudenter, grave malum, aut fractionem ſigilli, ſi alius Confeſſarius non adſit, poteſt illud ſilere; debet tamen alia confiteri.

290 Si Confeſſarius non adſit, non poteſt celebrare cum ſola contritione, ut alii ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam, niſi adſit infamia; quia præceptum auditionis Miſſæ eſt humanum, præceptum vero de præmittenda confeſſione eſt divinum, adeoque fortius obligat. Et numquam ſola devotio facultatem concedit celebrandi ſine confeſſione. Hanc facultatem dat neceſſitas celebrandi ad dandum viaticum moribundo.

291 Neceſſitates, quæ dictam facultatem concedunt Sacerdoti ad celebrandum, & laico ad communicandum in caſu, quo recordetur peccati mortalis, eamdem concedunt in caſu, quo recordetur, ſe eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, aut irregularem, quia fortius impedit a celebrando peccatum mortale, quam cenſura, cum illud impediat jure Divino, hoc Eccleſiaſtico; & tunc cum cenſura celebrans non evadit irregularis: debet tamen interim diligentiam pro abſolutione obtinenda adhibere, adeundo per ſe, vel per alium, ſuperiorem.

292 Onus Cappellaniæ, & indigentia ſtipendii, volunt aliqui, quod det licentiam Sacerdoti, ſi Confeſſarius abſit, celebrandi ſine prævia confeſſione cum contritione, & voto confitendi quamprimum, & Confeſſarium curandi. Hoc autem non eſt ita libere concedendum, ſed ſolum quando Sacerdos eſt in tam gravi neceſſitate, ut non habeat unde ſuſtentari: qua gravi neceſſitate ſecluſa, debet a celebrando abſtinere, & poſtea Miſſas per ſe, vel per alium ſupplere. Tamburin. *cit. n.* 39.

DE DISPOSITIONE CORPORALI.

293 SAcerdos celebraturus, & laicus communicaturus, debet eſſe jejunus jejunio naturali.

294 Jejunium naturale ab Eccleſiaſtico differt, quia jejunium Eccleſiaſticum conſiſtit in unica comeſtione, & abſtinentia a carnibus: jejunium vero naturale conſiſtit in omnimoda abſtinentia cibi & potus a media nocte uſque ad communionem incluſive, adeoque jejunium naturale non admittit parvitatem materiæ, ſed violatur per granum aniſi, aut per guttam aquæ ex induſtria ſumptam: & ejus violatio eſt ſacrilegium.

295 Ad ejus autem violationem duo requiruntur: primum, ut id, quod ſumitur, ſit cibus, aut potus: cibus, & potus eſt ille, qui in ſtomaco alteratur, & ad digeſtionem pertinet: ſecundum, ut ſumatur per actionem quæ ſit comeſtio, vel potatio, nempe ut per os aſſumatur, & in ſtomacum trajiciatur.

EX DEFECTU PRIMI

296 NOn violant jejunium naturale, & a fortiori neque Eccleſiaſticum fruſtum ligni ſolidi, unguis, moneta aurea, plumbum, oſſiculum ſive frugum, ſive alterius generis, filum ex ferro, vel ſerico, aut lana, & ſimilia; non enim ſunt cibus, quia non alterantur in ſtomaco, ſed eadem integra egeruntur.

297 Violant autem jejunium naturale charta, filum ex lino, palea, fœnum, terra, ſeu creta, quam mulieres comedunt, & cera, quia in ſtomaco alterantur.

298 Si quis deglutiat nucem cum cortice integram, frangere jejunium, putat Joan. Sanchez, quia eſt materia comeſtibilis, & per accidens non alteratur. Non frangere, opinatur Tambur. quia ut trajicitur, nec eſt alterabilis, nec digeſtibilis: ita ille.

299 Demum violant jejunium naturale potio medicinalis, aut aurum potabile, & ſanguis, quem quis ex vulnerato digito ſugeret.

EX DEFECTU SECUNDI

300 NOn violant jejunium naturale, primo gutta aquæ, quæ commiſcetur ſalivæ, dum os abluis; aut gutta juſculi, quod guſtas, an ſit bene præparatum, & commixtum ſalivæ trajicis; vel ſanguis, qui ex capite fluit in os, & immixtus ſalivæ deglutitur: quia non eſt potatio, aut comeſtio, ſed trajectio ſalivæ. Secundo, muſca, aut pulvis, quæ caſu in os volitant, & caſu trajiciuntur; quia non eſt comeſtio,

ſed reſpiratio. Tertio, ſanguis, vel humor ex capite, aut gingivis deſcendens, etiam non immixtus ſalivæ, ſi deglutiatur, quia eſt fluxus. Quarto, tabachum per nares ſumptum in pulvere, folio, aut fumo, & quilibet odor, quia eſt attractio, & afflatio narium.

301 Cæterum, ſi culicem, vel muſcam ex induſtria comedas, vel eam potens expuere trajicias, violas jejunium, quia ex una parte ſunt cibus, & ex alia hæc eſt comeſtio, non reſpiratio.

302 Fruſtula, quæ ex reliquiis cœnæ in dentibus remanent, ſi non ex induſtria deglutiantur, non violant jejunium, quia non eſt comeſtio, ſed trajectio cum ſaliva, aut reſpiratio. Violant autem, ſi ex induſtria deglutiantur, quia comeſtioni æquivalent.

303 Pariter violant jejunium ſaccharum, aut tabellæ in ore ante cubitum poſitæ, quæ tamen poſt mediam noctem liqueſiunt, & trajiciuntur.

Præfatas vero cibi reliquias nunquam violare jejunium, docent Dian. Suarez, & nonnulli graves Doctores apud Tamb. *in method. com. c. 2. n. 25.*

304 Si aromata, ut tabachum, maſtichem, &c. in ore conteras ad evacuandum humorem, &c. & non deglutias, non violas jejunium, etiamſi aliquid ex his cum ſaliva deſcendat; nam cohiberi non poteſt, quin deſcendat ſaliva illa aromatibus affecta; & ratio eſt, quia non eſt per modum cibi, aut potus, ſed ſalivæ; ſecus ſi granum aliquod ex his caſu decidat; quia tunc non eſt reſpiratio, (ut de muſca caſu deglutita ſuperius diximus) ſed comeſtio, ut liquet de projecto in flumine, qui licet invitus aquam deglutiat, non proinde eſt jejunus.

DE HOROLOGIIS PRO JEJUNIO.

305 PLura horologia bene regulata non faciunt opinionem probabilem, ſed dubium de media nocte in ordine ad communionem. Rodriq. *tom. 1. cap.* 105. *n.* 6. contra Dianam *par. 4. tr. 3. reſ.* 19. quia in quæſtione facti motiva utrinque æque probabilia non conſtituunt probabilitatem, ſed dubium.

Probatur experientia ex 3. *Regum* 3. ex vulgato *Salomonis* judicio ſuper duarum mulierum facto, quarum una affirmabat, puerum vivum eſſe filium ſuum, quod negabat altera, unde cum motiva fuiſſent utrinque æque probabilia, Rex remanſit ſuſpenſus, ac dubius; ideo ut ad alteram partem ſe determinaret, voluit addere conjecturam, præcipiendo, ut divideretur puer inter utramque: quod ardenter recuſante una, Rex ſapienter ejus maternam pietatem comprehendit, unde ejus filium judicavit: ante quam conjecturam Rex erat dubius; dubium enim poſitivum eſt quo quis conſideratis utriuſque partis motivis, ad neutram partem poteſt rationabiliter ſe determinare propter motiva æque utrinque moventia, ac proinde manet anceps, & in æquilibrio.

306 Præterea ſint ſex teſtes æqualis fidei, quorum tres affirment de viſu mortem conjugis, alii de viſu mortem pro eodem tempore negent; Judex remanebit non probabiliter opinans, ſed dubius, ita ut non poſſit permittere mulieri tranſitum ad ſecundas nuptias. Ita duo horologia bene regulata ſunt teſtes æqualis authoritatis circa factum in deſignanda hora mediæ noctis, adeoque ſi diſconveniant, non facient opinionem probabilem, ſed dubium poſitivum, niſi addatur conjectura, qua rationabiliter magis ad unum inclinet.

307 Hinc, ubi ſunt plura horologia bene regulata, qui mane celebrare vult, aut communicare, non tenetur ſtare primo horologio horam mediæ noctis ſignanti; quia *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*: poſſeſſio autem in caſu ſtat pro libertate, quæ eſt prior præcepto: nam præceptum jejunii eſt dubium, an tunc incipiat, & dubium ſupervenit libertati. Tum quia *impedimentum dubium non poteſt tollere jus certum*.

308 Difficultas eſt, *an ubi eſt tantum unum horologium, qui communicare vult, teneatur ſtatim in prima pulſatione a cibo, & potu deſiſtere?* In qua re quidquid reſolvant alii; Dico, quod ſciens, primum pulſum eſſe horæ duodecimæ noctis, teneatur in primo pulſu a cibo, & potu deſiſtere; qui vero ignorat, aut dubitat, ſi primus pulſus ſit horæ duodecimæ noctis, poteſt proſequi ad ultimum pulſum, & mane communicare.

Contingere namque ſolet multis, quod audierint horam undecimam noctis, alii vero non audierint; & proinde priores, ſtatim ac audiunt primum pulſum horæ ſequentis, ſunt certi, quod ſint pulſus horæ duodecimæ; poſteriores vero ignorant, aut dubitant. Quo præmiſſo,

Probatur aſſertio: hic namque non poteſt eſſe ſermo de hora completa mathematice, ſed practice, prout eſt nobis ſignum ſufficiens, cujus ſit horæ; non enim poteſt de pietate Sanctæ Matris Eccleſiæ præſumi, quod velit fideles ſtare horæ mathematice, quæ innumeris affligeret ſcrupulis, eo maxime, quia non ſolum eſt mathematice completa ante primum pulſum horæ ſequentis, ſed inter horam priorem completam, & primum pulſum horæ ſequentis, mediat intervallum quoddam; tranſacta namque tota hora antecedentis, datur aliquale intervallum, antequam incipiat moveri malleus pulſans pro hora ſequenti.

Hora autem practica dicitur, in quantum eſt nobis ſignum ſufficiens horæ determinatæ, primus vero pulſus horæ duodecimæ reſpectu ſcientis, & advertentis eſt ſignum ſufficiens horæ duodecimæ noctis; non ſic reſpectu ignorantis, non advertentis, aut dubitantis; ſed reſpectu ejus, & ſecundum ſe eſt ſignum indifferens; adeoque reſpectu prioris eſt hora practica, non reſpectu poſterioris.

Inſuper primus pulſus reſpectu prioris eſt impedimentum certum præcepti jejunii, reſpectu vero poſterioris eſt impedimentum ſuperveniens dubium, ob quod ſpoliari non poteſt poſſeſſione certa.

309 De dubio de media nocte, vel an comederit poſt: *v. cap. 1. de conſcientia dubia num. 55.*

DE SACERDOTE NON JEJUNO.

310 SAcerdos non jejunus poteſt celebrare, primo ad dandum viaticum alteri moribundo, ſi non adſint particulæ conſecratæ, eſto multi probabiliter negent, & ſolum id concedant pro dando Viatico ſibi ipſi Sacerdoti. Inſtante autem propria morte licere non jejuno communicare, eſt certum.

311 Secundo, poteſt celebrare ad vitandum ſcandalum, aut infamiam, ut ſi in Altari ante conſecrationem recordetur ſe non eſſe jejunum, poterit ſacrificium proſequi; quod ſi ejus recordetur poſt conſecrationem, etiam non inſtante infamia, omnino debet ſacrificium inchoatum perficere. Similiter, ſi laicus ſtans ad Altare recordetur non eſſe jejunum, & ſine infamia diſcedere non valeat, poteſt communicare: *v. n.* 347.

312 Tertio, in caſu fragmenti, in quo ſic diſcurrit Tamb. vel enim eſt ſermo de fragmento tui ſacrificii, ſive magno, ſive parvo, a te invento poſt aſſumptam ablutionem, & hoc ſumere licite potes, ſive ſtatim, ſive finita Miſſa, quia pertinet ad idem ſacrificium, imo probabiliter etiam in Sacriſtia, antequam veſtibus ſpolieris, quia adhuc judicaris non abſolviſſe totaliter ſacrificium.

Vel eſt ſermo de fragmento alterius ſacrificii, & hoc probabiliter poſt ablutionem aſſumere potes, ſive ſtatim, ſive finita Miſſa, dum es in Altari, quia id totum reputatur una ſacrificii moralis conſumptio: & quia fragmenta parva facile deperduntur, major reverentia eſt, ſi ab eo non jejuno aſſumantur, quam ſi cum tali periculo in ſacrario conſerventur, aut alteri Sacerdoti ſacrificaturo dentur; hinc poteſt Sacerdos pyxidem purificare, & reliquias ſumere, dum eſt in Altari poſt ablutionem, ſi ante ex inadvertentia non purificavit. An autem hujuſmodi fragmenta alieni ſacrificii ſumere poſſis in

ſacriſtia, antequam ſacris veſtibus ſpolieris, tu judica: ſemper autem eſt ſermo de fragmento, ſive parvo, ſive magno; minime de hoſtia grandi, aut integra particula; hæc namque debet in ſacrario conſervari, aut alteri Sacerdoti celebraturo relinqui.

313 Poſſe vero Sacerdotem non ſolum digito abducere, ſed pluries, & quoties opus fuerit, vinum infundere, & ſumere ad ſumendam particulam hoſtiæ, quæ fortiter calici adhæſit; non eſt dubium.

314 Quarto, quando Sacerdos poſt conſecrationem unius, vel utriuſque ſpeciei moreretur; tunc ſi non adeſſet alius Sacerdos jejunus, deberet a non jejuno perfici ſacrificium.

315 Quinto, Sacerdos, ſi ei incutiatur metus mortis cadens in virum conſtantem, ſi non jejunus celebret; idque non in Religionis contemptum, ſed ut alii Miſſam audiant; poteſt non jejunus celebrare, quia præcepta humana non obligant cum tanto diſpendio; quo metu ſecluſo, non poteſt non jejunus celebrare, ut alii Miſſam audiant, eſto non adſit alius Sacerdos jejunus, quia præceptum jejunii naturalis eſt validius præcepto audiendi ſacrum: & ſolus Pontifex poteſt in præcepto jejunii naturalis diſpenſare.

316 Sacerdos plures in die celebrare non poteſt, excepta nocte Nativitatis. Si vero ſit jejunus, poteſt in ſequentibus caſibus. Primo, ſi Paſtor habeat duas Parochias diſtitas. Secundo, ſi concurſus populi ſit tantus, ut Eccleſia non capiat, licet tunc potius expediat celebrare extra. Tertio, ſi ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, & ſuam hoſtiam ſumpſerit, nec ſit alius Sacerdos: *v. n.* 348.

DE TEMPORE, ET LOCO SACRIFICII.

317 TEmpus, quo celebrari debet, eſt ab aurora, duabus ſcilicet horis ante ortum Solis; uſque ad meridiem, ſecluſis privilegiis, quorum quidem virtute Mendicantes ex cauſa celebrare poſſunt tribus horis ante ortum Solis, & hora una poſt meridiem; quo indulto licite uti poterit quilibet alius Sacerdos, ſi adſit conſuetudo, aut ei ſuppetat juſta cauſa.

318 Locus jure communi eſſe debet Eccleſia benedicta. Ex privilegio vero, aut diſpenſatione Papæ, oratorium, vel ſacellum privatum, eſto non benedictum.

319 Non licere in navibus celebrare, docent Bonac. Diana & alii apud Arſdekin; quia adeſt periculum effuſionis ſanguinis. Imo Diana apud Gobat *tom. 1. tr. 3. n.* 237. refert Declar. Card. de anno 1633. qua committitur Epiſcopis, ut prohibeant Sacerdotibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus, ne id in praxim deducant.

Licere autem in navibus grandioribus, & in longo itinere, etiam dum actu navigatur, tranquillo tempore, aliquoties celebrare; puta ad audiendum Sacrum die feſto, ad miniſtrandum Viaticum, ad ſolatium ſpirituale vectorum, ſi nullum ſit periculum effuſionis ſanguinis, aut amotionis hoſtiæ ex vento, tenet cum pluribus Arſdekin, & Gobat citat. quia addit ex Caſtropal. id eſſe a Clem. VIII. generaliter permiſſum navigantibus in Indias, & teſtatur, ab eis ſic practicari.

320 In Eccleſia interdicta, aut violata, ſive per injuſtam ſanguinis effuſionem, ſive per publicam & illicitam humani ſeminis effuſionem, ſive in qua ſepultus ſit infidelis, aut excommunicatus non toleratus, celebrare non licet, antequam purificetur: quod ſi violatio accidat, dum Sacerdos celebrat, ſi poſt inceptum Canonem, ſacrificium abſolvat; ſi ante, ab eo ceſſet: *v. n.* 345.

321 Sacrificium fieri debet ſupra Altare ſub mortali, & immediate ſupra Altare parvum lapideum conſecratum: Altare eſſe debet triplici, aut ſaltem duplici mappa, ſeu lineo benedictis coopertum, cum Cruce, & Miſſali, & duplici candela cerea accenſa.

322 In Altari Crucifixi Crux debet eſſe a Cruce majori diſtincta; quia illa habet rationem imaginis. Negat Tambur.

323 Ex nulla neceſſitate licere ſine lumine in Altari poſito, & a lampadibus extra Altare appenſis diſtincto celebrare, & etiamſi Miſſa ſit incœpta, ſed ante conſecrationem, continuare, tenent Bellar. Buſemb. & Tambur. *in meth. Celebr. Miſſ. lib.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 1. quia gravem parit irreverentiam.

Sed probabilius puto licere. 1. Ad ſatisfaciendum divino præcepto aliquoties ſacrificandi, *ut in num.* 339. 2. Ad dandum Viaticum. 3. Ad vitandam mortem, non incuſſam in contemptum fidei, Marcheſius *a n.* 67. cum Paſqual Tonellio, & pluribus; quia jus divinum, & naturale prævalet legi humanæ.

324 Non ſufficit neceſſitas celebrandi ob diem feſtum, Marcheſius *n.* 70. quia licet præceptum aliquoties celebrandi ſit naturale, & divinum, *ut in n.* 339. præceptum tamen celebrandi, & audiendi Miſſam, quoad determinationem temporis, puta tali die feſto, eſt Eccleſiaſticum, quod cedit præcepto celebrandi cum lumine, quatenus hujus omiſſio gravem continet irreverentiam, quæ non poteſt vitari, niſi ad ſatisfaciendum præcepto majori, quod urgeat.

325 Si incœpta Miſſa extinguatur lumen, curari debet, & expectari paulisper, ut accendatur, ſi breviter fieri poteſt; ſecus ſi contingat poſt conſecrationem, continuari debet Miſſa uſque ad finem. Si ante conſecrationem poſt Offertorium, continuari poſſe docet Marcheſius *n.* 71. cum Arſdekin *part. 3. tract. 6. quæſt.* 8. & Leandro contra Mendo *in appendice ad epit. de immunitat. num.* 3. qui vult, eſſe abrumpendum ſacrum, ſi non ſit ſpes breviter habendi lumen.

326 Celebrare voluntarie cum unico lumine, in noſtris regionibus, ubi eſt conſuetudo celebrandi cum duplici; item cum lumine olei, aut ſevi, eſt peccatum veniale; quia non eſt gravis irreverentia, nec præceptum Rubricarum quoad hoc gravem obligationem inducit. Imo nullum eſt peccatum, ſi fiat ex neceſſitate, & cauſa. Non requiritur cauſa gravis. Paſqual. vult ſufficere defectum ceræ. Et ſi prævideatur ſcandalum, poterit moneri populus ſuper defectu, Marcheſius *a n.* 74. ex pluribus.

327 Celebrare ſine Cruce, ſecluſo contemptu, eſt veniale, Mendo *cit. n.* 6.

328 In villa, ſi candelabra non extent, licitum eſt ſine illis celebrare, quia Rubrica de candelabris eſt directiva, nam requiruntur non ratione ſui, ſed luminis. Tunc Sacerdos pro candelarum ſubſtentaculis uti poterit pineis, aut aliis inſtrumentis decentibus, qui ad riſum non provocent. Ita Marcheſius, qui ſuper his ſuo Sacerdoti in villa docte, & plene ſcribit.

DE VASIBUS, ET VESTIBUS.

329 VAſa ad hoc ſacrificium requiſita ſunt calix, & patena ex auro, argento, aut ſaltem ſtanno, conſecrata ab Epiſcopo. Item corporale, & palla ex lino pariter benedicta. Pyxis vero ſufficit ſi ſit benedicta.

330 Noſtris temporibus ex Rubr. Miſſ. de Ritu ſervando &c. n. 1. non eſt concedendus calix cum cuppa de ſtanno; quia non eſt veriſimilis tanta paupertas, ut non poſſit de argento conſtrui; & rite, quia calix, in quo Criſtus in ultima Cœna conſecravit, eſt ex chalcedonio lapide pretioſo, aliis lapidibus pretioſis ſculptus.

331 Calix, & patena, ſi ſint fracta, ita ut reddantur inepta ad Sacrificium, puta ſi ſanguis ex fundo cuppæ effundatur: vel ſi ſint apta, deformitatem tamen notabilem habeant, ut oriatur indecentia, execrata cenſentur.

332 Calix iterum deauratus, non eſt iterum conſecrandus, ſi ſit materiæ aptæ; quia per deperditionem auri non amittit conſecrationem, nec per additionem auri mutat formam: decet tamen, ut aqua benedicta abluatur, propter laicarum manuum contactum. Eſt autem